

uplicari vitia, cenodoxia vero, cum virtutes multiplicari videt: prioris inania, multitudo vultu: secundum vero dicitur laborum. Observa diligenter et usque ad mortem, et sepulcrum inuenies, hanc nefariam labem quotidie vestibus, unguentis, pompis, aromatibus et aliis florere. Lucet omnibus affatum sol, omnibusque studiis cenodoxia ad gaudet, verbi gratia: ieiunium inaniter glorior, latendi causa solvo ieiunium, tanquam prudens iterum glorior: si splendide vestior, vincor ea peste: si vilis induor, denuo glorior: si loquar, hac superior, si taceam, rursus superatus sum; quocumque hunc tribulum ieceris, erecto perstat aculeo. Eiusmodi vero gloriosus est fidelis idolorum cultor, qui Deum quidem colere, et venerari videtur, hominibus vero, non Deo placere studet; hactenus s. Climacus.

Idem s. Ioannes Climacus (in eod. grad.) ait: Nolavit quidam ex his, qui videre acutus poterant, narravitque, quid viderat. Cum sederem, inquit, in coetu quodam advenientes ad me cenodoxiae, et superbiae daemones, iuxta me, ex utraque parte sederunt, et unus quidem ex his digito illo suo vanissimo pulsavit latus meum, hortans, ut aliquid, quod ad contemplationem pertineret, sive opus quolibet in deserto a me gestum loquerer; quem cum a me repulissim, dicens: Converterant retrorsum, et erubescant, qui mala mihi cogitant, protinus is, qui a sinistris erat, ad aurem mihi dixit: eia bene fecisti, magnusque effectus es, quippe qui impudentissimam matrem meam viceris; ad quem ego rite sequentes versus resumens, dixi: Avertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi: euge bene fecisti; haec s. Ioannes Climacus, quibus et gloriam hominum fugendam, Christi vero solum quaerendam docet; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA XX.

Prosequitur idem argumentum adversus inanis gloriae appetitum, cuius gravitatem, et stultitiam multiplici eruditione tam ex sacra Scriptura, quam ex sanctis Patribus, ac ingenti conceptum copia palam demonstramus in eadem verba: Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei.

Quemadmodum Christus Dominus, id referente d. Matthaeo (cap. 14), auditis illis verbis: Ecce mater tua, et fratres tui foris stant, quaerentes te, ex illis occasionem arripuit docendi audientes, omnem carnem, et propinquitatis affectum longe esse propulsandum, maxime cum impedit, quae Dei sunt praestare: sic enim respondit: Quae est mater, et qui sunt fratres mei? quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in caelis est, ipse meus frater, et soror, et mater est; ita nunc auditis verbis humanae laudis, quae mulier illa protulit: Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quae su-

asti, asperiores illam responsum dedit: Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, ut auditores exemplo suo doceret, humanis laudibus non libenter aures esse accommodandas, sed fingendas potius, et refundandas. Sane inter alia pleraque, quae humanae laudis effraemum appetitum compescere debent, illud maximi ponderis iudico, quod, qui laudem humanam suorum operum aucupatur, divinae gloriae acrilegus fur, et iniustissimus depraedator efficitur, d. Augustino (lib. soliloq. cap. 13) dicente: Tuum, Domine, est bonum, tua gloria; ideoque qui de bono tuo gloriam sibi quaerit, et non tibi quaerit, hic fur est, et latro, et similis est diabolo qui voluit furari gloriam tuam. Equidem cum laus, et gloria non debeatur nisi bono, et omne bonum desursum sit, descendens a Patre luminum, ipsi debetur laus, et gloria, non nobis. Unde, qui illam sibi usurpat, fur est, et latro divinae gloriae. Divus Paulus (ad Philip. cap. 2) ut explicaret, omnium honorum nostrorum operum Deum esse auctorem, dixit: Ipse est qui operatur velle, et perficere pro bona voluntate sua. Mos est sacrae Scripturae, ut cum vult aliquid plene comprehendere, extrema illius exprimat, ut sub illis intermedia complectatur, sicut cum dixit Moyses (Gen. 1): In principio creavit Deus coelum et terram, plane significavit, non solum illa, sed omnia intermedia creata fuisse a Deo, ut adnotarunt d. Chrysostomus (homil. 2. in Genes.), et d. Augustinus (lib. 2. contr. Manich. cap. 3); et Christus Dominus ad exprimendam plenam potestatem, quam super omnem creaturam acceperat, dixit (Matth. 28): Data est mihi omnis potestas in caelo, et in terra. Quibus plane indicavit, etiam ea, quae interiacent inter coelum et terram suae potestati subesse. Certe velle et perficere duo extrema sunt, inter quae totius boni operis structura continetur, cuius principium est velle, finis est perficere; quare dicere voluit, Deum totius nostri boni operis esse auctorem, et nihil esse in eo, quod non Deus ipse in nobis pro bona sua voluntate operetur. Dixerat Isaias (cap. 26), Deum operari in nobis omnia nostra opera. Apostolus tamen non solum hoc dixit, sed addidit, ita omnia opera nostra in nobis operari, ut quicquid bonum est, in unoquoque eorum operetur; non quod homo sit tanquam inanimatum organum, ut haeretici contendunt, sed quia ab ipsis Dei virtute, et auxilio procedit quicquid est boni in opere, quod homo operatur; quod et David dixit illis verbis, quae s. Patres sacraeque observant Concilia: Quoniam gloria virtutis eorum tu es, et in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum. Habet homo potentiam aut virtutem bene operandi, sed huic virtuti Deus dat virtutem, sine qua nihil penitus operabitur: habet cornu fortitudinis, id est, potentiam liberi arbitrii, quam nemo cogere potest; nisi tamen cornu hoc exaltetur, hoc est, nisi potentia, et facultas liberi arbitrii supernaturali Dei auxilio elevetur, neutrumque minimum etiam opus meritum elicere valebit.

Quam autem sollicitus zelator sit Dominus gloriae suae, praecclare mihi indicasse videtur

(Exod. 30) per suavissimum odorem thymiamatis, quem sibi soli reservari praecepit. Sume tibi, inquit ad Moysen, stactem, et onycha, galbanum boni odoris, et thus lucidissimum, aequalis ponderis erunt omnia, faciesque thymiamatum purum, et sanctificatione dignissimum, id est, quod Deum deceat, aptumque sit ei offerri, et illo subfamigare sanctum sanctorum, erit vobis thymiamum, id est, sanctissimum, purissimum, Deo soli reservatum. Talem compositionem non facietis in usus vestros, quia sanctum est Domino, id est, quia Deo ipsi consecratum, et dicatum. Homo quicumque fecerit simile, ut odore illius perfruat, peribit de populis suis. Per thymiamum igitur ex omnibus aromaticis speciebus compositum, omnium virtutum operationem intellexit: nec enim contentus est Deus, si unam solummodo teneas virtutem, qui te in omnibus perfectum exposcit, et idcirco, ut d. Basilius adnotat, eas aromaticas species expressit, quae universa continue videntur: quatuor enim species aromaticae, ex quibus componendum erat thymiamum, ad quatuor referuntur elementa, ex quibus omnia componuntur, quorum singularem tenet similitudinem. Stactem namque refertur ad aquam, quia est recentis myrrhae incisae pinguedo cum aqua expressa, aut, ut alii volunt, gutta, quam arbor quaedam aromatica distillat. Onyx ad terram ob retortidam ariditatem. Galbanus ad ignem, propter calorem praefervidum. Thus vero aerem repraesentat, quod transparentis sit, et dilucidus perspicuitatis. Quod Deus sibi reservat, est suffimentum aut odor, ex his speciebus aromaticis coarsurgens. Ex virtutum namque universalium operibus inter se commixtis, quando scilicet ieiunium est humile, misericors, et orationi coniunctum; quando oratio est copulata ieiunio, misericordiae, et humilitati; quando humilitas secum tenet orationem, et misericordiam, ut d. Ambrosius (lib. 5. in Luc. in illud: Beati pauperes), d. Augustinus (lib. 6. de Trinit. cap. 4), ac d. Gregorius (lib. 22. Mor. cap. 1) loqui solent, quorum doctrinam excellenter d. Thomas explicat (1.2. quaest. 65. art. 1), ex quibus consurgit odor suavissimus, aut suffimentum laudis, honoris et gloriae: hoc Deus sibi ita reservat, ut prohibeat dicens: Talem compositionem non facietis in usus vestros, id est, ad vestram gloriam, et honorem, quia sanctum est Domino, id est, Deo dicatum, et debitum; ideoque homo quicumque fecerit simile, ut odore illius perfruat, peribit de populis suis. Pereat Lucifer, et aeternae perditioni tradatur, quia odore virtutum, donorum, et gratiarum, quibus fuit ornatus, profraui voluit, gloriam et honorem inde procedentem sibi aucupari volens: cui dictum est, ut sanctus Thomas explicat, elevatum est cor tuum in decore tuo, in terram proiecti te. Pereat rex Tyri, qui gloriam, et honorem, quem in Deum referre debebat, propter divitias, et potentiam, quibus fuit donatus, in suum voluit usum convertere, cui dictum est, eo quod elevatum est cor tuum, quasi cor Dei, id est, intendens gloriam, quae tantummodo Deum decebat, idcirco ego adduceam super te alienos robustissimos, qui ita

terficient te. Pereat Herodes, qui splendore regio fulgens, gloriam ab adulatoribus sibi delatam, quam Deo teuebatur servare, acceptavit; ideo percussus ab angelo exspiravit, de quibus supra. Expendit s. Ioannes Chrysostomus iustam regis Oziae percussorem, quem Deus insaniabilis lepra percussit, ex qua mortuus fuit. Vere enim rex digna est graudi animadversione. Fuit Ozias, quem aliquando Scriptura Azariam vocat, rex, qui fecit quod rectum erat in oculis Dei, cumque requireret Dominum, direxit eum Dominus in omnibus, unde insignes comparavit victorias, resque grandes fuit adorsus. Hinc egressum est nomen eius procul, eo quod auxiliaretur ei Dominus, et corroboretur illud. Nihilominus percussit eum Dominus: oratio est enim lepra in fronte eius coram sacerdotibus in domo Domini, super, id est, iuxta altare thymiamatis; et sacerdotibus festinatio explerunt eum, et fuit leprosus usque in diem mortis suae. Inquiret divus Ioannes Chrysostomus, cur tam grande supplicium intulerit Deus regi, qui fecerat, quod rectum erat in oculis eius; tandem docet, rationem fuisse eam, quam ipsamet Scriptura sacra expressit: quia sibi voluit arrogare gloriam, et honorem, non Deo ipsi, sed eius sacerdotibus reservatum circa thymiamatis suffimentum, aut oblationem: hoc enim coram Deo offerre, et incendere solis sacerdotibus volebat Deus esse concessum. Cum autem Ozias roboratus esset: Elevatum fuit cor eius in interitum suum, et neglexit Dominum Deum suum: ingressus enim templum, voluit adolere incensa super altare thymiamatis. Si ergo eo solum, quod hic rex sibi usurpare voluit, quod ad solos sacerdotes pertinebat, scilicet offerre Deo thymiamum, ita acriter Deus illum punivit; dubium non est, quod acerbior poena illum plecteret, si odorem Deo soli reservatum sibi usurpare voluisset. In hoc sane peccati genus incidit, qui cum bona opera operentur, contendunt odorem laudis ex eis procedentem in se ipsos convertere, gloriam Deo debitam tyrannice sibi arrogantes: nam sic divus Paulus, cum diceret (2. ad Corinth. 2): Christi bonus odor sumus Deo: ecce odorem bonorum operum non sibi arrogabat, sed Deo deferbat. Diaboli proprium est, quae gloriam velle capere: ille enim qui quasi praedator in via ex primordiis suae conditionis voluit Dei gloriam sibi usurpare, et nunc opera bona, quae in Dei obsequium fieri conspiciunt, totis viribus furari conatur, excitando desiderium, et appetitum inanis gloriae, auferendo ab ipsis insigne, quod ille servari vult illaesaum, soli Deo honor et gloria; ita multa bona, quae operatus fuerat Pharisaeus ille, de quo Christus Dominus loquitur, rapuit, idque illi conveniri potest, quod s. Iacob dixit de Dan (Gen. 49. 18): Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor eius retro. Omnibus ambulantibus in via huius vitae se exponit diabolus, tanquam coluber, eo modo, quo primis parentibus nostris, suadens, Dei mandatum contemnere, terrena appetere, et in vitium ligum manum mittere.

Quoniam autem multi sunt, qui eligunt semitam illam strictam, quae ducit ad vitam, quam perambulant per opera sancta mortificationis, poenitentiae, religionis et omnium virtutum, istis se exhibet, tanquam cerastem, qui parvus serpens est, summa cupiditate, exoptans deicere equum, quem videt pulchro currentem equo; ideoque inter pulveres se abscondit, et illo transeunte, mordet ungulas equi, ut recalcitrans equus equitem retro deiciat: illa diabolus, quando videt instum et sanctum virum, per strictam virtutis semitam currentem, quem non potuit impedire a bonis operibus, inter pulveres humanarum laudum, et vocum se abscondens, latenter ungulam mordere conatur. Ungulae nomine recta mentis intentio designatur, qua quis movetur, et progreditur in bono opere: hanc mordere, et incidere summo opere procurat, appetitum inanis gloriae callide ingerens, ut generosum animum, Dei gloriam intendentem, a sublimi intentione cadere, et deicere faciat. Istorum miseriam deplorans sanctus Thadaeus (*epist. sua can.*) inquit: *Vae illis, qui in via Cain abierunt, et errore Balaam mercede effusi sunt, et in contradictione Core perierunt.* Tria personarum genera exprimit, quibus quasi iam damnatis compati possumus, et quibus sanctus Apostolus grande comminatur supplicium, illam praemittens comminatricem interfectionem vae: quae quando inducitur, ut d. Ioannes Chrysostomus (*hom. 7. in Gen. et l. de virg. cap. 21*) adnotavit, hœrenam, supremam, et irremissibilem poenam exprimit. Primum illorum, qui in via Cain abierunt, invidiosus significat: hoc namque fuit peccatum Cain, per quod ad execrandum fratricidium pervenit, cui ipsemet Deus, quasi compati visus fuit, volens illum a suo torquenti affectu revocare dicens (*Gen. 4*): *Quare iratus es? et quare conceidit facies tua? nonne si bene egeris, recipies?* quasi dicat: Cur de fratris tui bono iraseris, et doles, qui magis inde laetari debes. Non impius fratri tuo, quod a me contemnaris, sed tibi, qui si similis illi volueris esse, similes reportabis favores. Aliud est eorum, qui in contradictione Core perierunt, isti superbi sunt, et ambitiosi, atque praetentis suis, qui loco Dei sunt constituti, rebelli se contradictione opponunt. Aliud tandem eorum, qui cum Balaam mercede effusi sunt: satis nota est haec historia. Fuit Balaam, ut Origenes, et d. Augustinus dicunt, famosissimus in arte magica, et carminibus noxiis praepotens incantator, quem Basilicus vocat, *Auriprem, et dicinotorem*, ut qui daemonicam sibi doctrinam per augurandi superstitionem compasset, quem et falsum prophetam fuisse probat d. Ambrosius, vocans eum *Ariolum*, nihilominus, quando vocatus fuit a rege Balac, ut populo Dei malediceret, verissima prophetas se docent Patres, Origenes, Augustinus, Basilus, Ioannes Chrysostomus, et signanter d. Gregorius censet, grandi Spiritu Dei fuisse illustratum, per quem cognovit veri Dei maiestatem, et populi illius excellentiam, et felicem sortem eorum, qui ipsi obsequuntur, ideoque exclamasse: *Moriatur anima mea morte iustorum, et fiant novissima mea horum similia.* Vero er-

go spiritu prophético fuit tunc illustratus: sed mercede effusus est, quia, ut eleganter dixit Origenes, prophetae verba tantum habuit in ore: dictum enim fuerat illi a Deo: *Verbum, quodcumque dederit in ore tuo, loqueris: in corde autem desiderium erat mercedis; et cupiditalis pecuniae, a rege percipiendae.* Etenim quia per prophetiam, quam in Dei, et populi eius honorem, et gloriam protulit, non a Deo praemium, sed quam mercedem posset ab hominibus reportare, solummodo concupivit; ideo merito, inquit Origenes, vocatus est Balaam, qui interpretatur, *populus vanus.* Expende illud, *mercede effusi sunt*: effundere est se totum omni affectu, et ex toto corde in aliquid demittere, quomodo David (*Ps. 69*): *Effundite coram illo corda vestra; et iterum (Psal. 21): Sicut aqua effusus sum.* Totam mentem, affectum, et omne cordis sui desiderium in obtinenda a rege Balac mercede pro opere illo quod, Deo suggerente, perficiebat, constituit. Pariter autem cum eo dicitur mercede effusi, qui soli a mercedem temporalem propter bona sua opera ab hominibus expectant; et quidem Balaam divitias multas accepit, quae apud carnales homines magnopere aestimantur; quid nisi nonni solam, et nudam exteriorum laudem pro pretio, et mercede requireret? Vae igitur hypocritis, qui in hac via Balaam ambulantes, minorem mercedem, quam Balaam, ab hominibus exposcent; a quibus tantum quae-runt conspici, et videri.

Porro, illud etiam magis ponderis esse autumo ad detestationem humanae laudis, quod qui operibus suis non Dei gloriam, sed propriam exaltationem quaerunt, in quoddam idololatriae genus misere probantur, cum gloriam, et laudem, quam Deus in saeculae veracitatis protestationem exposcit, sibi tribuant. Unde opere ipso Deum abnegant, et loco illius seipsos, tanquam Deum constitunt: ad quod magis intelligendum explicare inavabit, quid sibi voluerit Iacob, cum dixit (*Gen. 24*): *Si fuerit Deus mecum, et custodierit me in via, per quam ego ambulo, erit mihi Dominus in Deum.* Nunquid putabat Iacob, quod Dominus non esset Deus eius, nisi ipse haberet illum in Deum? minime quidem: recte enim sciebat per hoc, quod assumeret illum in Deum, non constituit illum Deum suum: nam etiam illo renuente, necesse erat Deum illius esse: et quidem nomen Dei omnes nationes intelligunt primam omnium causam, a qua cuncta procedunt, et in quam, velut in ultimum finem, omnia diriguntur: habere ergo Dominum in Deum, est ab illo omnia bona tanquam ab universorum bonorum fonte, et origine expectare, et in illum se, et omnia sua, tanquam in finem, referre, dirigere, et ordinare; idque sibi voluit verba Iacob: *Erit mihi Dominus in Deum:* non dixit, erit mihi Dominus pro Deo, sed in Deum: nam, ut d. Thomas (2. 2. q. 2. art. 2) docuit, praepositio *in* significat motum animi tendentem in aliquid; ex quo explicat illud symbolum: *Credo in Deum.* Quare Iacob habere Dominum in Deum, nihil aliud erat, quam toto corde, et animo, se saepe bona omnia in illum, tanquam principium, et autorem referre, et om-

nem gloriam ex illis resultantem illi offerre ad imitationem coelestium incolarum, de quibus Ioannes (*Apoc. 4*) inquit: *Procidebant, et adorabant viventem in saecula saeculorum, et mittebant coronas suas ante thronum dicentes: Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, et honorem, et virtutem, quia tu creasti omnia.* Hinc est, quod qui laudem, et gloriam propter opera sua bona Deo debitam sibi usurpant, in quoddam genus idololatriae incurunt, dum non ad Deum, sed ad seipsos, tanquam ad ultimum finem referunt illa, ut contigit regi Tyri, cui propterea quod gloriam, et honorem ex bonis suis operibus resultantem sibi arrogabat, propheta Ezechiel (c. 28) dixit se ipsum constituisse, tanquam Deum, ac vero Deo neglecto, in cathedra eius sedere non erubuisse: *Elecatum est cor tuum, et dixisti: Deus ego sum, et in cathedra Dei sedi:* ecce hominem vanum, sui ipsius idololatriam factam. Accedit, quod inter omnes pravo affectus, qui disponunt ad infidelitatem inducendam, et a fide apostatandum, primas tenet appetitus proprii honoris, et gloriae. Unde d. Augustinus (*de civit. Dei. c. 14*) vocat vanae laudis appetitum, vitium valde pie fidei inimicum: quod et probat d. Ioannes Chrysostomus (*hom. 2. in Ioan.*) ex illis verbis Christi Domini (*Ioan. c. 3*): *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, et gloriam, quae a Deo solo est, non quaeritis?* quibus consonant illa alia (*Ioan. 12*): *Ex principibus multi crediderunt in eum, sed propter Pharisaeos non confitebantur; magis enim dilexerunt gloriam hominum, quam Dei ecc.* Ingentem huius pravi affectus impietatem, cum per illum homo coronam gloriae, ipsi Deo debitam, ab ipsis Dei capite auferat, et sibi melius imponat; ac tandem, per illum, ad negandum Deum, et seipsam tanquam Deum colendum miserime disponatur.

Ceterum, postquam inanis gloriae gravitatem ostendimus, ad eius stultitiam, multifariam, multisque modis manifestandam, sermonem convertamus. Inter pleraque naturae opera admiratione digna, quae Deus Iob ante oculos posuit, illud de struthione singulari speculatione dignum arbitror: pennae struthionis similes sunt pennae herodii, et accipitris: *Privavit illum*, inquit ipse Iob, *sapientia, nec dedit illi intelligentiam:* signum autem non obscuro suae stoliditatis est, quod, cum alioquin avis sit aequalis magnitudinis cum camelo, caput habet parvum ad modum anatis, ut testatur Plinius (*lib. 10. c. 1*). Apud Physiognomas autem parvas capitis insipientiam indicat, et refert Pierius (*lib. 25*), olim antiqui struthionem pro stoliditatis symbolo usurpabant. Hoc loco Deus tam nulla de struthione commemorat, ut nulla ratione credi possit, ad struthionis naturam explicandam illa dixisse; sed sicut quando de bobus locutus est, de ipsis non curabat, sed de re significata per illos, ut dixit divus Paulus (*ad Corinth. 9*): *Nunquid de bobus cura est Deo?* ita dum Deus ex professo de struthionis natura, et stoliditate sermonem instituit, non tam de illo, quam de re significata per ipsum, intelligenda vult ab eo commemorata: iustum enim est, ut na-

tura gratiae deserviat, et ut sapienter dixit divus Gregorius (*lib. 21. moral. cap. 1*) de libro Iob loquens: *Multae quidem eius sententiae tanta allegoriarum conceptione sunt gravidae, ut quisquis eas ad solam historiam tenere nititur, carum notitia per suam iniuriam privetur.* Quare idem d. Gregorius (*lib. 21. moral. cap. 5*) docet, Deum hoc loco hypocritarum vanam laudis cupidum, ex professo deserventem assumpsisse, multaque de eius insipientia, et stoliditate edixisse, ut inde nos sapientes, et cordatos efficeret: idque plane verba illa indicant (*Iob 30*): *Privavit illum Deus sapientia, nam cum nemo dicitur privari re, cuius non est capax; nec enim lapis dicitur privatus visu, cum incapax sit illius, manifeste relinquitur, Deum verba illa dixisse ad hypocritam, qui capax esse sapientiae privari. In primis ait Iob, pennas struthionis esse inanis herodii, et accipitris, subtiles scilicet, magnas, et latas: in eo tamen valde dissimiles sunt, quod accipitris, et herodii adeo in sublimi eriguntur, ut ipsum coelum contingere videantur: struthio autem suis pennis, nec per latum angustum a terra se elevat. Unde Diodorus (*lib. 3. rerum antiqu.*) vocavit illum medium inter aves, et bestias; quia habet alas sicut aves, sed a terra non elevatur, sicut bestiae: et Strabo (*lib. 6*) propter eandem rationem struthionis avem cervinam appellavit, quia licet alas habeat instar avium, currunt tamen super terram instar velocium cervorum, ut scribit Helianus (*lib. 14. cap. 20*), et Xenophon (*lib. 1. de rebus expeditione*); non dissimiliter hypocritae, et herodii pennae similes accipitris, et herodii pennae, hoc est, virtutum sanctorum, qui instar istarum avium in sublimi se elevant, et coelum contingentes, cum d. Paulo dicant (*ad Philip. 3*): *Nostra conversatio in caelis est; terra vero, hoc est, terrenus affectus non deserunt; terrenis se exasperant, orationes in Ecclesia fundunt, elemosinas erogant: pennae sunt istae sine dubio, quibus sancti sursum elevantur, ad ipsi, dum propter vanum hominum laudem occupantur illis vacant, in terra fixi manent. Deinde struthio, quamvis tanta facultate vigeat, ut plus quam octoginta in unum lucem edat, ut scribit Helianus (*lib. 4. cap. 19. et sequ.*), nullum tamen eorum protegit, aut fovet, sed in pulvere relinquit, nihil curans, si a transeuntibus bestiis conculantur: imo licet ova, et filios ex eis producat, magno pepererit dolore, quasi saeva nocera, cum in cura destituta relinquit, beato Iob dicente (*cap. 39*): *Duratur ad filios suos, quasi non sint sui, frustra laboravit, nullo timore cogente, vel ut Pagninus vertit: Crudelis fuit pulvis suis, ac si non essent sui, sed, ut transfert regia: Duriter tractat filios suos, non sibi.* Etenim licet struthio pullos suos diligere videatur, ut indicat Michaeas (c. 1), quia filiorum visum valde delectatur, ita tamen offerat, et crudelis animo erga illos se gerit, ut nec eos foveat, nec pascat, nec eorum amissionem timeat: ad quod alludens Hieremias dixit (*Thren. 4*): *Filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto.* Ad eundem modum hypocritae multis bonis operibus secundum faciem student, et**

ieunant, orant, elemosinas faciunt, sicut et Pharisaeus dicebat (Lucae 18): *Ieiuno bis in Sabato, decimas de omnium quae possideo, et in illis superbe complaceat, et eorum aspectu mitrifice delectantur, adeoque stulti sunt, ut foetus istorum bonorum operum, quos nullo cum labore pepererunt, a crudeli vanae gloriae fera dilacerari, et conculeari sinant, nec lacrymandam eorum amissionem quiequam timeant. Hanc eandem stultitiam columbae Metaphora explicuit Dominus (Osae 7), cum dixit: *Factus est Ephraim sicut columba seducta non habens cor, vel ut originale Hebraeum habet, sicut columba stulla, seu stolidia: (in cuius loci comm.)* divus Hieronymus observat, propterea columbam stullam, et recordem nuncupari, quod, cum illa frequenter varios foetus producat, illos tamen non custodit, neque a rapitore defendit. Certe gallina, quamvis alioquin imbecillis, et pusillanimitatis symbolum sit, rostro tamen, alis, et unguibus pro pulis defendendis rapaci milvo se opponit: hirundo anxia cura pullos custodit, circumvolans, et pipiens, quando rapitorem timet; ac tandem omnes aves in tuto curant nidos suos locare, ne filii nocementum patiantur; sola columba non curat custodire ova, aut pullos suos; nec si auferri eos viderit, illos defendit, et quasi corde caret, nullo tristitiae affectu propter pullorum amissionem excitatur, imo e contra, quasi laetari videtur, cum editos pullos raptos videns, ad alios edendos statim se convertit, quasi ad hoc tantum illos peperisset, ut raperentur. Ita hypocritae stulti adeo sunt, in rapere columbae, ut quamvis omnes bonorum operum pulli absumantur, et rapiantur ab inani gloria, id non dolent, imo alacriores se exhibent, quando spectatorum oculi foetus suos depraedantur, et ad alios edendos, et a spectatoribus similiter rapiendos se statim convertunt.*

Sed eundem Iob (cap. 8) audiamus, hanc eandem hypocritae stultitiam singulari metaphora delineantem: *Non ei placebit recordia sua, et sicut tela araneorum fiducia eius, vel sicut originale Hebraeum legit: Non placebit ei fatulus sua, et sicut domus araneorum fiducia eius.* Consideranda sunt cum divo Gregorio multa circa araneorum telas, ex quibus domunculas illae sibi faciunt. Primum, nullum esse opus subtilius, nec maiori ordine compositum, infer animalium opera quam telam aranae; quam saepe admirantes conspiciunt. Secundum nullum esse animal, quod ita laborem in opere suo, sicut arana: cetera namque conficiunt opera ex his, quae extrinseca sibi sunt: ex paleis, et luto collectis hirundo, ceteraeque aves nidum extruunt; aranae vero ex infimis praecordiis, ex ipsismet suis visceribus fila trahit, quibus telam ordiatur. Deinde cetera animalia domunculas, aut nidos, ad foveas sibi sub brevi temporis spatio faciunt; aranae autem hinc inde texens procedit, egreditur, et regressitur, et saepe ab uno loco in alium longe distantem opus extendit. Tertium nullum esse opus, quod facilius dissipetur, et pereat: nec enim requiruntur mallei ferrei, aut securae, aut bombardae

rum ictus, aut lancearum vibrationes, sed sufficit levis aer ad telam penitus dissipandam, ut ultra non solum ipsa sola, sed nec eius pars, aut filum appareat. Tandem, totum opus tanto labore confectum ordinatum tantummodo est ad muscas, et cinifes capiendos, quibus arana sustentatur; talis certe pastus tali animali dignus. Vide, quid hypocritae agant, certe non aliud, quam telas araneorum. Videntur primo eorum opera ordinatissima, et magna discretione perfecta: hoc enim tanto magis procurant, quanto sollicitius contendunt, ne aliquis defectus in eorum actionibus deprehendatur: secundo summo cum labore talia opera faciunt, mira abstinentia se affligentes, et ut inquit divus Gregorius: *Omne robur corporis alterunt, et quasi carnis vitam in carne viuentes extinguunt, sicutque per abstinentiam morti appropriant, ut penes quotidie morientes vident, veritate attestante, quae ait (Matt. 6): Exterminant facies suas, ut appareant hominibus ieiunantes.* Nam ora pallescent, corpus debilitate qualitur, et pectus interrumptibus suspiriis urgetur. Tertio, tam facile quis dissolvitur, et tela, quam orsi fuerant, consumitur, ut levi flatu venti dissipetur, et pereat; quia quicquid hypocrita cum labore peragit, inquit div. Gregor. *aura humani favoris tollit, et dum in appetitu laudis opus deficit, quasi in ventum labor enascitur.* Tandem, si inquiras, quid miser grandi suo labore intendat? invenies eius spem similem esse aranae, quae nihil aliud, nisi muscas, et cinifes resonantes captare constituit, humanam scilicet laudem, transitoriamque, momentaneam, ac inanem gloriam, qua pascitur, quam accupatur: similis Ephraim, de quo propheta Oseas dixit: *Ephraim pascit ventum.* Observavit sanctus Maximus (hom. in Evangel.): *Nalite fieri, sicut hypocritae tristes, quod cum Apostolus dixit (ad Gal. 5): Non efficiamur inanis gloriae cupidi, non prohibuit Dominus gloriae appetitum, quia, ut idem Apostolus dixit (ad Romanos 2): Gloria, et honor operanti bonum; sed solum vetuit appetitum vanae, et inanis gloriae, qualis est illa, quae ex hominum aestimatione procedit: ut enim adnotavit divus Thomas (in cap. 5. ad Galat. lect. 6): Vanum, et inane est, quod nec firmum, nec verum, neque utile est; humana autem gloria firma non est, aut stabilis, Isaia dicens (cap. 40): Omnis caro foenum, et omnis gloria eius, quasi flos agri, exsiccatum est foenum, et cecidit flos, quibus persimilia sunt, quae dixit sanctus senex Malathias (c. 5) scripserit: *Dicunt malum bonum, et bonum malum: quae summa falsitas est. Superbiam, magnitudinem animi aestimant, crudelitatem, et vindictam fortitudinem, mordacem loquelam eloquentiam, humilitatem animi vilitatem iudicant, parsimoniam avaritiam, remissionem illatae iniuriae pusillanimitatem appellant, facti in his omnibus, instar dolosae slaterae falsi aestimatores, ut praedixerat David (Psalm. 61): Ve-**

rum tamen vani filii hominum, mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant ipsi de caritate in idipsum. Tandem est humana gloria inutilis, et infructuosa: nam quantumcumque magnam ab hominibus nanciscatur homo vanus gloriam, non solum non consequitur suum ultimum finem, propter quem possidendum creatus est, sed illum in aeternum amittit. Quare divus Iohannes Chrysost. (hom. 21. et 72. in Mat.) dixit: *Si gloriam quaeris, veram gloriam quaere, et concipisce: si gloriam amas, magis ameam, quae a Deo est.*

Ceterum, ex multiplici alio capite demonstrare pergo stultitiam, et stoliditatem eorum, qui appetitum humanae laudis bona opera exercent: hi laborem suum penitus perdunt, et proprio suo gladio se ingulant: accidit enim illis, quod Eleazaro filio Saura, concupiendi nomen, quod omnium stultissimum est, aeternum sibi acquirere; cum filii Israel ad praemium provocati fuissent ab hostibus, et quod maiorem timorem illis incutiebat, elephantes erant, ligneas turres supra dorsum portantes, in quibus multi armati homines latitabant; decrevit Eleazarus in praecipuum illorum, quem regis ornamentis phaleratum vidit, visum est enim ei, quod in eo est rex, acriter invadere, et gladio suo illum occidens, sub ipso tamen, quem extinxit, ipse etiam interit, et occubuit, et ut pulchre dixit d. Ambros. (1. offic. cap. 4), *suo remansit triumpho sepultus.* Non secus vanae laudis cupidus evenit: laboriosa multa opera bona faciunt, ieiunant, carnem macerant, et ut ait divus Mathaenus, *exterminant facies suas, qui sibi de propria concupiscentia triumphare videntur, tamen sub hoc suo triumpho occumbunt, et cadunt, dum de illo gloriam accupantur humanam: non ob aliud illa facientes, quam ut videantur ab hominibus. Iacturam hanc bonorum operum explicuit Hieremias olivae metaphora (c. 1) in haec verba: *Olivam uberem, pulchram, fructiferam, speciosam vocavit Dominus nomen tuum, ad vocem loquelae grandis exarsit ignis in ea, et combusta sunt frutela eius.* Manifestum est, prophetam non loqui de oliva materiali, cum respectu illius nulla sit humana vox, quae illum comburere possit: loquitur ergo de hypocrita, qui cum alioquin instar fructiferae olivae variis operibus bonis abundet; blanda tamen vox, seu loquela humanae laudis ac inanis gloriae igne succendit, et omnia eius frutela consumit. *Grandis exarsit ignis in ea; tanta autem est operum bonorum iactura, quae humanam laudem consequitur, ut Oseas dicat sacerdotibus (cap. 5): Victimae declinastis in profundum.* Ad cuius loci intelligentiam observare oportet, Deum ibi sacerdotibus arguere, quod omnia, quae in bonum erant constituta, illi in malum detorquerent, et quae profectum adiciere debebant, in perniciem converterent: sacrificia quidem, et victimae ad Deum placandum debebant ordinari; ipsi autem in suam solum utilitatem illa convertebant; atque haec ratione victimas, quae ad Deum tendere debebant, in profundum declinabant: unde per sacrificia, quibus sancti viri ad coelum volabant, illi ad*

profundum tendebant. Haec est igitur hypocritarum non exigua stultitia, per quod maculationem et ingulationem carnis, per quam iusti coelestia appetunt, ipsi in profundum tendunt barathrum. Equidem quod per atrociam scelera quicquam in profundum feratur, nihil sane mirum, cum grave sint pondus iniquitatis eorum; at quod per opera sancta, quae pennae sunt, quibus ad coelum sancti volant, in profundum tendant, hoc mirandum valde est. Quod pergit in infernum Cain per invidiam, et fratricidium, Giezi per simoniam, et Balaam per avaritiam, et Zambri per impudicam, et inverecundam fornicationem, non mirum, sed quod per ieiunia, orationes, et elemosinas in tartarum tendat homo, hoc summam redolent tristitiam; atque huc in idem argumentum faciunt illa eiusdem prophetae verba: *Multiplicavit Ephraim altaria ad peccandum, factae sunt auae ei in delictum.* Certe, quod lupanaria sint in delictum luxuriae, nundinae in delictum avaritiae, civitates in delicta diversi generis, non mirum; sed quod arae, et altaria sint in delictum et perditionem, hoc mirandum, miserandumque est: si videres duos agricolas aequaliter laborantes eiusdem generis semina iacentes, easdem fructus facientes, quorum unus abundantissimos fructus colligeret, alter vero nollet nisi spinas, et tribulos reportare; quid diceres? si duos aspiceres in aurifodinis laborantes, aequaliter desudantes, et simili lassitudine se conficientes, quorum unus aureos lateres extraheret, alter vero cum similes posset, nollet, nisi vermes foetidos reportare; nonne hanc magnam existimares stultitiam? haec est igitur istorum stultitia, et insipientia, ut per eundem laborem, et iugulationes, per quas iusti aeternam gloriae coronam consequuntur, hypocritae nil nisi spinas, vermes, et aeternam confusionem reportent. Quare existimo, quod, licet omnia vitia generaliter charitati contrarietur, appetitus humanae laudis e diametro cum charitate pugnet, tum quia, sicut charitas bona opera in Deum, et ipsius gloriam, et laudem tanquam in finem ultimum dirigit, ut docet d. Thomas (2. 2. q. 23), ita humanae gloriae inordinatus affectus in nos ipsos, et in gloriam nostram, tanquam in finem, illa refert: tum etiam quia sicut charitas est virtus, bona opera vitae aeternae meritoria reddens, ita vanae gloriae vitium esse perhibetur, aeternae mercedis demeritoria illa reddens.

Deinde aliam istorum stultitiam mihi delegit, quod Christus Dominus docuit (Matth. 7), stultum scilicet super arenam aedificare. Stultus aedificat domum super arenam, et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et cecidit. Sane, qui bene operantur, aedificium quoddam spirituale construnt, ut s. Apostolus loquitur (1. ad Corinth. 3); et ideo oportet, ut unusquisque videat, quomodo supraaedificet. Aperte Christus Dominus illis verbis demonstravit hypocritarum stultitiam, qui totum suorum bonorum operum aedificium extruunt super arenam, et pulverem humani applausus,

culius quidem aedificii futuram ruinam Dominus praedicit: humane enim laudis zephyri-
no vento flante, continuo illud corrumpet. E con-
tra faciunt huius, qui tanquam sapientes, ne
aedificium honorum operum corrumpat, non su-
per arenam, sed super petram aedificant. Sa-
piens, ait Christus Dominus (Matth. 7), *aedifi-
cavit domum suam supra petram, et descendit
pluvia, et venerunt flumines, et flaverunt venti,
et irruerunt in domum illam, et non cecidit;
fundata enim erat supra petram*, hoc est, Chris-
tum, iuxta illud Davidis (2. Reg. 2): *Dominus
petra mea, et refugium meum*; et (Psal. 17):
Petra, refugium haerinae. Qui super hoc sta-
bili fundamento aedificant, omnia in Christum,
et propter Christum operantes, cum vanae glo-
riae venti perstant in eorum aedificium, illud
non corrumpit, quia fundatum est supra firmam
petram.

Ad extremum, in illam summam omnium stulti-
tiam, et soliditatem incidunt hypocritae, et vanae
laudis appetitores, quod aeternae gloriae
retributionem pro brevi, et falli humana glo-
ria commutant, Christo Domino dicente (Matth.
6): *Anien dico vobis, receperunt mercedem suam*.
Quam autem hoc genus abiectionis, et inanis
praemii operibus illorum congruat, etymologia
ipsis nominis hypocritae luculenter o-
scendit: hypocrita vox est Graeca. Aymon credi-
dit, significare *deauratum*, a chryso, quod est
aurum, metaphora sumpta a simulacris, de
quibus dicebat sanctus propheta Baruch, quod
cum sicut ligna inaurata, et inargentata, scie-
tur postea, quia falsa sunt ab universis gen-
tibus, et regibus. Haec etymologia placuit
etiam divo Augustino, ut refert cardinalis Toletus,
ad eamque alludere visus est Christus Do-
minus, dum dixit: *Vae vobis Scribae, et Pha-
risaei hypocritae, id est, deaurati, quia simi-
les estis sepulcris dealbatis, quae foris appa-
rent quidem hominibus speciosa, intus vero sunt
plena ossibus mortuorum*: quae verba ad hoc
institutum expendunt d. Isidorus, s. Greg. et
Origen. qui observant illud: *Plena ossibus mor-
tuorum*: Tanta, inquit, ossa in eis sunt, et
immunditia, quanta opera simulatur bona ex
malo affectu. Sunt igitur sicut simulacra inau-
rata, quae exteriori specie nitent, intus vero
immunditia sunt plena. Cardinalis Toletus (in
cap. 6. Lucae annot. 76) refert ex eodem divo
Augustino hypocritam dici ab hypo, quod est
falsum, et crisis, quod est iudicium, quasi
falsum iudicium, quia hypocrita homines de-
cipit, et falsum eorum iudicium quaerit, in-
tendens iudicari boni, et sanctus, cum omni
bonitate et sanctitate careat. Communis tamen
est sententia, hypocritam dici a verbo Graeco,
hypocrisis, quod est, simulatio, et inde derivatur
hypocritis, id est, simulatio, et hypocrita, id
est, simulator, instar histrionis, mimi, seu
representatoris in scenis: nam quemadmo-
dum hi in hoc toti positi sunt, ut unam per-
sonam teneant, et aliam representent, a sua
longe diversam, rusticus enim representat per-
sonam regis, et vir personam foeminae; ita
hypocritae, cum sint in sua persona iniqui,
et peccatores, hoc solummodo contendunt re-
ferre, et representare in theatro huius mundi

personam sanctorum, ut communi consensu Pa-
tres docent, Origenes (homil. 4. et 25. in Matth.),
Basilius (hom. 1. de teitu.), div. August. (serm.
59. de temp. et lib. 2. de serm. Dom. cap. 2),
Euthymius, et Theophyl. (in cap. 6. Matth.),
et singulariter div. Ambros. (lib. de Elia cap.
10), et div. Ioannes Chrysost. (homil. 21. in
Matt.), singulariter tamen d. Thomas (2. 2. quaest.
142. art. 2). Unde, sicut tales histriones solum-
modo procurant aliorum personam gerere,
quandiu spectatores coram se habent, et tan-
to vivacius, quanto plures, attentioresque
habent auditores, et illis deficientibus, ces-
sant illi representationes: ita hypocritae a-
gunt. Cum igitur opera illorum fictam solum
sanctitatem, et simulatam probitatem con-
tineant, praemium ex insubia eis debitum non
aliud est, quam gloria ficta, et simulata, et,
ut ita loquar, in mercedem eis correspondere
debet, non vera gloria, sed gloria hypocri-
sis: etenim cum huiusmodi opera sint instar
nucis vacuae, vana, hoc est, sanctitate, et vero
merito carentia, praemium eis correspondens,
debet esse vanum, et omni vera gloria vacuum:
cuiusmodi est humana laus, quam Christus Do-
minus testatur hypocritas in operum suorum
mercedem recepisse, huiusmodi erant opera
Episcopi Sardiensis, cui Ioannes (Apocly. 3),
dixit: *Non invenio opera tua plena coram Deo*:
meo: reprehendit illum, quod opera eius va-
cua erant sanctitate, et quod inventus esset in
illis minus habens.

Ad haec, tantus est boni operis meritorii
valor, quantumvis minimae aquae potus, ut
si Deus in praemium illius tibi donaret coe-
lum, et terram, imo et ipsos angelos, quot-
quot creavit, ut tibi ministrarent, et in per-
petuum ad nulum servirent, omnesque divi-
tias, quas omnipotencia Dei creare potest, ti-
bi soli conferret, non persolveret ad nequiti-
tatem minimum illud opus meritorium, quia,
cum Deus per suam promissionem fidem suam
adstrinxit, se ipsum daturum in praemium bo-
norum operum, ut locutus est Abraham (Gen.
15): *Ego protector tuus sum, et merces tua ma-
gna nimis*, et universaliter (Sap. 5) de omni-
bus iustis legitur: *Iusti autem in perpetuum
vivent, et apud Dominum est merces eorum*:
non potest persolvere opera meritoria pretio
minoris valoris, quam sit ipse. Unde cum
Christus Dominus divo Thomae dixit: *Bene
scripsisti de me, Thoma, quam ergo recipis pro
labore mercedem? ipse continuo respondit: Non
aliam, Domine, nisi teipsum*. Si igitur stultis-
simus censeretur, qui verus, ac pretiosissimus
adamantes pro fictis commutaret, quanto ma-
iore stultitia laborare censendi sunt, qui ae-
ternum gloriae pondas operibus bonis promi-
sum pro vili humanae gloriae pretio, imo
solo applaudentium hominum aspectu com-
mutant: etenim, qui, ut Christus Dominus ait,
opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus,
praemium essentiale, quod secundum d. Tho-
mam (1. parte quaest. 12) consistit in videre
Deum, ipsi commutant pro videri ab homi-
nibus, quorum aspectus tantum abest, ut be-
tos illos faciat, ut potius illos fascinans, mi-
seros, et infelices reddat: Zacharias, cum pra-

vidisset, Iudam vili pretio fringilla argenteo-
rum venditurum esse Christum, dixit in pre-
sentia illius ironice, et irrisorie: *Decorum pre-
tium, quo appetitatus sum ab eis*. Sic sane di-
cere licebit irrisorie hypocritis, opera sua pro
solo oculorum applausu pretio vendentes, de-
corum pretium, hoc est, vilissimum, et abie-
ctissimum. Ad haec: Die mihi, quaeso, si duo
essent emporia, in quorum uno solum adese-
rent pauperissimi homines, et qui merces ni-
hil facerent, ac proinde vilissimo pretio leve-
rent eas emere, in altero autem convenirent
plurimi ditissimi illarum mercium cupidi, et
ad illas, magno etiam pretio emendas paralys-
simi, nome mercator stultissimus indicaretur,
qui emporio isto relicto, omnes suas merces
ad illud primum vendendas deferret? Sane o-
pera bona, quae homines faciunt, merces sunt
quaedam, pro quibus unusquisque pretium ac-
cipere satagit: duo autem sunt emporia, in qui-
bus illa vendere possunt: primum est huius
mundi platea, in qua plurimi resident, ita ta-
men inopes, ut nec minimum opus merito-
rium cum digno pretio persolvere possint, ip-
sis dicentibus (Psal. 78): *Pauperes facti sumus
nimis*; adeo quidem, ut nonnisi ventum lau-
dantis vocis in pretium dare queant: nam si
hominis vita ventus est, ut dixit Iob (c. 10): *Ve-
nus est vita mea*; quid erit eius vox, quae
humana vita futilior esse perhibetur? alterum
emporium est coelum, ubi magna suppetit di-
vitiarum copia: *Gloria, et divitiae in domo ei-
us* (Psal. 111): ibi bona opera tantum habentur,
ut tres divinae personae non minus, quam
infinito thesauro minimum opus bonum persol-
vunt, pro potu aquae frigidae silenti dato,
pro lacera veste nudo misericorditer praes-
tita, pro suspirio ad Deum ex corde emisso,
aeternae gloriae corona reposita est: quis ergo
stultissimos non iudicet humanae laudis ap-
petitores, dum, relicto celesti emporio, mer-
ces operum suorum deferunt ad mundanas huius
mundi emporibus illas exponentes, nullum
aliud pretium pro illis, quam humanae lau-
dis auram porrigentibus, quae adeo cito tran-
sit, ut de ea dictum sit, gaudium hypocritae
instar puncti: in quo etiam alia eorum dele-
gitorum stultitia, dum pro brevissima gloria
captanda, aeternitatis indicibile praemium a-
mittere non curant. Atque huc etiam faciunt
verba illa Apostoli Iudae (in sua Canon.): *Vae
illis, atque hoc est, quod dicit, receperunt mer-
cedem suam*, id est, praemium suis meritis
dignum, mercedem suis operibus congruam.
Indignae sunt, inquit divus Augustinus, *huius-
modi passiones, et opera ad futuram gloriam,
quae revelabitur in nobis; ideo non illam acci-
piunt pro mercede*. Condigna tamen sunt huius
transitoriae inanisque gloriae, quam propterea
tanquam suam mercedem recipiunt. Ex eisdem
explicat d. Augustinus honorem, et gloriam ter-
renam, quae Deus Romanos fecit illustris-
simos, mercedem fuisse bonorum operum quae
egerant, et agebant. Grandia siquidem, et exi-
mia, ac pene innumerabilia erant virtutum
opera, quae fecerant: privatas namque res suas,
inquit d. Augustinus, pro re communi, hoc est,
republica, et eius aarrio contempserunt; ava-

ritiae restiterunt; consulerunt patriae consilio
libero, neque delictum, secundum suas leges,
neque libidini obnoxii, ut longo, eloquentique
catalogo plurimum illorum miranda acta d. Au-
gust. prosequitur. Brutus pro libertate patriae
filios suos sponte occidit, de quo poeta: *Vicit
amor patriae*. Romanorum princeps Torquatus
filium, non quia contra patriam, sed etiam
pro patria; tamen, quia contra imperium suum,
id est, contra quod imperaverat pater Impera-
tor, ab hoste provocatus, juvenili ardore pugna-
verat, licet vicisset, occidit, ne plus mali esset
in exemplo imperii contempti, quam boni
in gloria hostis occisi. Furius Camillus etiam
ingratam patriam, a cuius cervicibus acerrim-
orum hostium Veientium ingum depule-
rat, damnatusque ab aemulis fuerat, a Gal-
lis iterum liberavit, quia non habebat po-
torem, ubi posset vivere gloriosus. Mutius,
ut cum Porsenna rex pax fieret, qui gravis-
simo bello Romanos premebat, quia Porsen-
nam ipsum occidere non potuit, et pro eo al-
terum deceptus interemit, in ardentem aram,
ante eius oculos dexteram extendit, dicens
multos tales, qualem se viderat in eius exitum
conjurasse; cuius fortitudinem, et confu-
sionem tantum perhorrescens Porsenna, sine
ulla dilatione se ab illo bello, facta pace com-
pescuit. Curtius armatus, equo concitato, in
abruptum hiatus terrae se praecipitem dedit,
deorum suorum oraculis servicus, qui iusse-
rant, ut illuc id, quod Romani habere opti-
merant, mitteret; nec aliud intelligere po-
tuerunt, quam viribus armisque se excellere
in illo interitum vir praecipitaret armatus.
Decii, ut iram deorum sanguine suo placarent,
Romanisque liberaret exercitus, se occiden-
do, certis verbis quodammodo consecrantes, de-
voverunt. Marcus Regulus, ne crudelissimos
hostes Carthaginenses irando falleret, gra-
vissimis suppliciiis necari egiit. Lucius Valerius,
qui in suo defunctus fuit consulatu, us-
que adeo paupertatis fuit amator, ut nummis
a populo collatis, eius sepultura curaretur.
Quintus Cincinnatus cum quatuor iugera pos-
sideret, et ex suis manibus coleret, ab aratro
adductus fuit, ut dictator fieret, victisque ho-
stibus ingentem gloriam consecutus, in ea pau-
peritate permansit. Fabricius summis muneribus
Pyrrhi Epirotarum regis oblati, muneribus
etiam quarta parte regni, a Romana civitate
non potuit divelli, solius boni fallerit promo-
tionem omnes intendebant, ideoque cum rem-
publicam, id est, rem populi, rem patriae,
rem communem habentem opulentissimam, sic
ipsi in suis domibus pauperes erant, ut qui-
dam eorum, qui his iam Consul fuerat, de
Cornelio Rufo, id narrat Valerius Maximus,
Titus Livius, et Aulus Gellius, ex illo senatu
pauperum hominum pelleretur notatione Cen-
soria, quod cense pondus argenti in vasis ha-
bere compertus est, etc. haec et alia d. Au-
gustinus prosequitur.

Opera igitur illorum insignia erant, sed ter-
rena non terram transcendebant, quippe cum
non propter Deum facta fuerint: tantum enim
suam gloriam, honorem, et laudem apud ho-

mines intendebant; ideoque dignam mercedem eis reddi statuit Deus, non quidem coelestem, quia, ut dictum est, terram non transcendebant eorum opera, sed terrenam. Quia tamen inter opera bona, quae terram non transcendunt, illa fuerunt suprema, eximia, et excellentia, supremis terrenis voluit compensari: nam suprema gloria, honore, divitiis, imperio, dominatione donati fuerunt. Honorati sunt in omnibus fere gentibus. Imperii sui leges cunctis nationibus imposuerunt, hodieque literis, et historiis gloriosi sunt pene in omnibus gentibus. Totum orbem suo subiecerunt imperio, et omnium provinciarum obtinuerunt dominium. Ut enim, quae profini auctores scribunt, dimittamus, aperte dicitur in Scriptura, iam tempore Machabeorum subiecisse Galatiam, Hispaniam, et eius metalla auri, et argenti, et Philippum, et Persen Caeterorum regem, et Antiochum Magorum regem Asiae, qui eis pugnam intulerat, habens centum viginti elephantes, et equitatum, et currus, et exercitum magnum valde, contritum ab eis, et regionem Indorum, et Medos, et Syrios, etc. Tempore, quo Christus Dominus natus fuit, toti orbi imperabat (Luc. 2): *Unde exiit editum a Caesare Augusto, ut describeretur universus orbis. Et tandem, inquit d. Augustinus, relictissime istorum gloria donati sunt Iudaei, qui terrenis bonis erant addicti, istam gentem possidentes, ut omnium bonorum terrae domini viderentur. Haec omnia mercedis loco accepterunt ad humanam namque gloriam praesentis temporis salis digna vita, operaque illorum existimabantur, quae condigna non erant futurae gloriae, quae revelabitur in nobis, sicut ex Apostolo dictum est. Per huiusmodi terrena bona quod illi merebantur, Deus persolvit, ideoque non est, quod aliam expectantes ab illo mercedem, de summi et veri Dei iustitia conquerantur: perpererunt enim mercedem suam. Tales sunt hypocritae, et quotquot ex bonis suis operibus gloriam, laudemque humanam quaerunt, de quibus dicitur: Amen dico vobis, receperunt mercedem suam: merces sane inanis, vilis, et contemnenda, cuius vanitatem, et inanitatem nullus melius poterit explicare, quam ipsimet, qui ipsa donati sunt; et qui manibus comprimentes, quantaes esset vanitas, laudem experti fuerunt: nam et Brutus, et Torquatus, et Furius Camillus, et Decii, et Scevolae, et Curtii, ceterique inter Romanos excellentes, ex illis sunt, quos in inferno positos exhibet Spiritus sanctus loquentes, nobisque referentes, qualis fuerit mercedis suae stabilitas, et magnitudo: Quid, inquit, nobis profuit superbia vitae in Graeco, iheriphamia, quae significat statum illum tumensum, quo quis tumens, ceteros, tanquam inferiores, contemnere videtur: vocaturque Latine fastus; aspirando ore resonat: quod Hispanae dicunt aliquid, fau, fau. Et divitiarum saeculatia quid contulit nobis? quis posset Romanorum divitias enumerare, qui, ut doctus quidam auctor refert, in publico aëradio in numerata pecunia auri, et argenti habuerunt simul collectos, aliquando sexcentos milliones, ut ita loquamur? Hoc maxime credibile facit,*

quod de eis Scriptura enarrat, quod multa fecerunt in regione Hispaniae, et in potestatem suam redegerunt metalla auri, et argenti, quae illic sunt, et possederunt omnem locum consilio, et patientia, et omnes orbis reges sibi tributarios fecerunt, a quibus innumeratas divitias quotannis recipiebant: *Transierunt omnia illa, tanquam umbra, et tanquam nuncius velociter perevrens, et tanquam navis, quae pertransit fluctuantem aquam, cuius cum praeteriret, non est vestigium invenire; aut avis, quae transvolat in aere, cuius nullum invenitur argumentum itineris illius, sed tantum sonitus alarum corbeas lecem ventum: aut tanquam sagitta emissa in locum destinatum: divisus aer continuo in se reclusus est, ut ignoretur transitus illius: sic et nos nati continuo desivimus esse, etc. singula expendi; nec enim ab omnibus oratoribus posset aliquid dici, quod elegantius rem propositam explicaret: considerata similitudinem a quique rebus petitam, umbra, et nuncio praecurrentibus; navi fluctuante, ave volante, et sagitta emissa: considerata similiter illud: Nos nati continuo desivimus esse, etc. et recte illos iudicasse probat Spiritus sanctus, subdens (Sep. 3. cap. 15): quoniam spes, inquit, impij, tanquam lanugo est, quae a vento tollitur, et tanquam spuma gracilis, quae a praecella dispergitur, et tanquam fumus, qui a vento diffusus est, et tanquam memoria hospitij dicit praeteriens. Ecce, quid humana gloria, terrenus honor, mundi laus, lanugo, spuma gracilis, fumus, memoria unius diei, etc. Haec expendens d. Augustinus acutissime observat, ipsomet, qui Romanorum facta laudant, quod per ea excellentem clarumque gloriam apud homines compararunt, vocasse eosdem infelices: unde poeta laudator Bruti, assumens illius laudes decantandas, quoniam ex amore patriae filios proprios occidit, infelicitati illius perhibet testimonium; ait enim:*

Natosque pater, nova bella moventes
Ad poenam pulchra pro libertate vocabat: infelices, etc.
Vicit amor patriae, laudum ne immensa cupido.

Quae autem maior potest esse infelicitas, quam pro tam insigni opere tam vilem, inanem, fallacem, et brevem reportare mercedem, post quam nullam amplius posset alteram expectare: *Merces autem sanctorum, inquit divus Augustinus, longe alia est, quam Spiritus sanctus, postquam utilitatem mercedis humanae gloriae expressit, subdidit, dicens: Iusti autem in perpetuum vivunt, et apud Dominum est merces eorum, et cogitatio eorum apud Altissimum.*

Sed, ut iam sermonis vela contraham; illud superest mihi dicendum, sanguineis lacrymis plangendum esse, quod, cum hoc vitij genus adeo Deo infensum, ac detestabile, et homini nocivum sit, ut luculenter huiusque ostendimus; paucissimi tamen sunt, etiam ex sanctissimis viris, qui eo quandoque non inveniuntur. Etenim licet opera sua propter Dei gloriam agere proponerent, et inciperent; tamen humanae laudis appetitus in prosecutione,

vel in fine operis, calculeum ingreditur, et, ut ait d. Basilus (de const. monastic. cap. 11): *Intrat blande, leniter, suaviter, insensibiliter, et ipso operante inadverte, universum bonum opus inficit, ut supremo angelo contigit: nam iuxta d. Thomas sententiam (1. p. q. 63) laudis propriae appetitus latent, et inadverte, cum tamen advertere debuisset, voluntatem eius occupavit, et supernaturalia eius bona diripuit, adeo ut ex excellentissimo angelo pessimum omnium diabolum fecerit, ut dixit d. Ioannes Chrysostomus (hom. 1. in ill. vid. Domini): unde b. Petrus Chrysologus (ser. 7) respiciens ad penetrantem vim, quam hoc venenum habet, dixit: Hoc malum subtilissimum esse virus, et latentissime eos impetere, qui recta agere coeperunt: et s. Ioannes Chrysostomus (hom. 19. in Math.) ait, hoc vitium esse malam bestiam, quae clam ingreditur, et cuncta bene orientia, velus maxima cum quiete, et absque ullo sensu perditis exportare. Hoc experientia in semetipso deprehendit Gregorius, a quo tam valide se inadverte impetitum fuisse sensit, ut ad suffragia, et orationes aliorum quaerendas se converterit. Coepit ille opus illud insigne expositionis moralis in libri b. Iobi, et quidem sine dubio ad id agendum excitatus fuit Dei amore, et desiderio laudis, et gloriae ipsius, et id ipsam intendens, coepit, et prosequutus fuit opus; sed quid ad finem operis ei acciderit, nullus ipsomet poterit melius explicare: Ad me, inquit, intrinsicè rediens, dum ipsam subtiliter radicem meae intentionis inspicio, Deo quidem ex ea me summo opere placere voluisse cognosco, sed eidem intentioni, qua Deo placere studeo, furtim se, nescio quomodo, intentio humanae laudis interserit; quod, cum iam postmodum tandem discerno, invenio, me aliter agere, quod scio me aliter inchoasse. Sic etenim saepe intentionem nostram, dum ante Dei oculos recte incipitur, occulte sibi subiuncta, et eam velut in itinere comprehendens, intentio humanae laudis assequitur; sicut pro necessitate quidem cibus sumitur, sed in ipso usu, dum furtim gula subreptit, edendi delectatio permiscetur: unde plerumque contingit, ut refectionem corporis, quae salutis causa coepimus, causa voluptatis expleamus. Fatendum est igitur, quod rectam quidem intentionem nostram, quae soli Deo placere appetit, nonnunquam intentio minus recta, quae de donis Dei placere hominibus quaerit, insidians comitatur: et paulo inferius: *Lacerationem igitur vulnerum meorum non abscondo, et quisquis haec legerit, apud districtum Iudicem solatium mihi suae orationis impendat. D. etiam Chrysologus iniquitatem huius vitij probe agnoscens, eloquenter et sapienter (ser. 7) dixit: Inanis gloria subtilis est malum, secretum virus, venenum latens, virtutum fucus, linea sanctitatis. Ac tandem eius malitiam latius describens, dixit: Adersa omnia nituntur virtutibus suis, armis suis pugnant, et impugnant palam; unde et cavetur tam facile, quam videtur: haec tamen crudeli arte virtutes truncat mucrone virtutum, ieiunium ieiunio perimit, oratione orationem evacuat, misericordiam miseratione prosternit. Vide excellentem ponderatio-**

nem, quam eisdem fere verbis sanctus Cyprianus prosequitur: *Res quaeris suis pugnat virtus contra sibi contrariam, et quanto unius vires fuerint fortiores, tanto alterius robur magis languescit; sed quis unquam vidit inimicum aliquem tanto maiores vires resumere, quanto ipsius inimicus potentior fuerit factus? Lucuria non sumit vires ex castitate, quae potius, quanto castitas fuerit potentior, redditur infirmior; avaritia non roboratur ex liberalitate, imo quanto haec robustior, tanto illa debilitior; infirmitas non sumit vires ex sanitate, sed potius quanto sanitas validior, tanto infirmitas impotentior; inanis tamen gloria et superbia, quanto virtutes fuerint potentiores, tanto magis acuitur, et potentior impetu insurgit, et ad mensuram, quae virtutes augentur, illius etiam augetur vis et impetus. Virtutes propterea truncat mucrone virtutum; nam ex earum excellentia vires resumit ad easdem obtruncandas, et ieiunio ieiunium perimit, quia ex ipso vires sumit ad ipsummet perdendum. Quibus etiam consonant, quae d. Cyprianus (lib. de ieiun. et tent. Christ.) in haec verba scripsit: Castigatio carnis spiritum inflat, et macies corporis extenuatum, arrogantem impingit, contemptum venerationem venerat; fumes, et calamitas laudibus saturatur, mens hoc veneno imbuta in miseris deliciatur, et occupata hac scabie in ulceribus gloriatur, et religio fit superstitio. Id sane expertus est divus Augustinus, qui, ut legimus (epist. 64. ad Aurel. Episc.), quanto validius ad inanis gloriae inimicum expugnandum insurgebat, tanto illa potentius contra ipsum dimicabat; quia quasi ad aurem sibi haec verba dici videbantur: O quam excellenter invenim gloriam, et superbiam expugnans? quam elegantius eius malitiam ostendit? quam effecit eam fugiendam demonstras? Ecce ex ipsa, quam praestabat, inanis gloriae expugnatio, seipsam acerbius ab illa impugnantem sentiebat; atque eadem via, qua illam abiiciendam ostendebat, aditum illi aperiebat, ut ad se veniret. Unde acute, et ingeniose, ut assolet, d. Chrysol. (sermon. 7) dixit: Fratres, fugiendum est hoc virus, pestilentia haec cavenda, quae de remediis creat morbos, conficit de medicina languorem, sanctitatem vertit in crimen, placationem facit iratum, generat de propitiatione discrimen. Atque hinc est, quod SS. Patres difficultatem experti ingenium in expugnando hoc inanis gloriae saevio tyramo, d. Augustinus dixit difficile, d. Bernard. mirabile, d. Gregor. rarum, d. Hieronym. quasi impossibile, oblati humanis laudibus propter bonum opus, quod agitur, non delectari, et in eis non complacere. Concludo, verba illa (1. Reg. 12) recitans: Nolite declinare post vana, quae non proderunt vobis, neque eruent vos, quia vana sunt; sed omnes, cum bene operamur, pleno ore clamemus: soli Deo honor, et gloria per infinita saecula. Amen.*